[illegible] repleti ſunt

[illegible] inſipientia et colloquebantur

ad invicem quid[illegible] iheſu.

Factum eſt autem in illis diebus [illegible] in montem orare & erat

pernoctans in oratione dei. Et cum dies [illegible] vocavit

diſcipulos ſuos & elegit duodecim ex ipſis quos & apoſtolos nomi

navit. ſimonem quem cognominavit petrum. & andream fratrem

eius; iacobum & iohannem. philippum & bartholomeum.

matheum & thomam. iacobum alphei & ſimonem qui vocatur

zelotes. iudam iacobi & iudam ſcarioth qui fuit proditor.

Et [illegible] deſcendens cum illis ſtetit in loco campeſtri. & turba

diſcipulorum eius & multitudo copioſa plebis ab omni

iudea & hieruſalem. & maritima & tyri & ſidonis. qui venerant

ut audirent eum. & ſanarentur a languoribus; & qui vexa

bantur ab ſpiritibus inmundis. curabantur; & omnis turba

querebat eum tangere. quia virtus de illo exibat & ſa

nabat omnes; Et ipſe elevatis oculis in diſcipulos ſuos dicebat.

Beati pauperes. quia veſtrum eſt regnum dei; Beati qui

nunc eſuritis. quia ſaturabimini. Beati qui nunc fletis

quia ridebitis; Beati eritis cum vos oderint homines.

& cum ſeparaverint vos. & exprobraverint. & eiecerint

nomen veſtrum tanquam malum. propter filium hominis.

gaudete in illa die & exultate. ecce enim merces veſtra multa

in caelo. ſecundum haec enim faciebant prophetis

patres eorum. Verumtamen vae vobis divitibus. quia

habetis conſolationem veſtram. vae vobis qui ſaturati eſtis

quia eſurietis; vae vobis qui ridetis nunc quia lugebitis

& flebitis; Vae cum bene vobis dixerint omnes homines

ſecundum haec faciebant pſeudoprophetis patres eorum;

Sed vobis dico qui auditis. diligite inimicos veſtros. bene